

tropico eclipsis Lunæ, & hoc in illa parte, in qua argumentū ccepisti. Et uide si linea perpendiculariter æquidistans lineæ minorū, quam tangit Almuri primum secet semicirculum, qui est æquator minorum casus & moræ, tunc erit mora, sin autem, tunc non erit mora. Qui si ipsum æquatorem secuerit, tunc minuta existentia inter semicirculū iam dictum & Almuri primum, id est, inter tactum lineæ æquidistantis, & Almuri computando in lineis orthogonalibus lineæ minorum casus & moræ, usq; ad Almuri sunt minuta casus. Deinde eandem latitudinē Lunæ computa cum secundo Almuri quod situm est super æquatorem casus & moræ, incipiendo à linea minorū casus & moræ, & sursum numerando secundum motum fili, etiam in eadem quarta. Et minuta existentia inter Almuri prædictum, scilicet secundum, & Diametrum exeuntem à centro uersus B, sunt minuta dimidiæ moræ. In proposito exemplo pono filum in instrumento eclipsis Lunæ super argumentū uerum Lunæ, & unam margaritam pono super intersectionem fili cū æquatore distantia Lunæ à terra, & alteram super æquatorem casus & moræ. Et in eadem parte instrumenti, filum cum prima margarita pono super latitudinem Lunæ in tropico Lunæ, inter lineas æquabiles lineæ minorum casus & moræ, & quia linea descendens à margarita secat semicirculum hunc eclipsis in tenebris immorabitur, & unio inter descendentes easdem secat 47 minuta casus. Secundum autem pono super latitudinem Lunæ inter easdem æquidistantes, id inter descendentes ostendit 18 minuta moræ mediæ.

¶ Digitos eclipsatos Diametri lunaris cognoscere.



ONE filum centri super argumentum uerum Lunæ ut supra, & transfer unum Almuri super æquatorē distantia Lunæ à terra. Deinde idem filum cum Almuri pone super latitudinem Lunæ ad medium eclipsis, in tropico eclipsis Lunæ, & cadet filum super numerum, quem subtrahes à 22, & remanebunt puncta eclipsis Lunæ. In dato paradiemate filum pono super argumentum uerum Lunæ, & margaritam applico æquatori distantia Lunæ à terra. Hoc igitur filum cum margarita pono super latitudinem Lunæ, inter æquabiles in tropico numeratas, & filum ostendit 8 partes cū dimidia, quæ subtractæ à 22, relinquunt partes 13 cū dimidia quasi puncta eclipsis Lunæ.

¶ Quantitatem temporis Eclipsis Lunæ ostendere.



INUTA, casus diuide per superationem Lunæ in una hora, & in quotiente prouenient horæ. Et residuum multiplica per 60, & diuide per idem, quod prius, & exhibūt minuta horarum, & habebis tempus correspondens minutis casus. Similiter